



## **Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici**

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo  
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm  
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

**Mezger, Paul**

**Augustæ Vindelicorum, 1695**

Articulis IX. An liceat contra propriam sententiam sequi, vel consulere  
probabilem oppositam.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)

concedit, si minus probabili ex motivo intrinseco favens libertati, per motivum extrinsecum reddatur moraliter certa. Exemplum ponit de existimante ex rationibus intrinsecis probabilibus esse, sibi non licere in die festo opus servile per horam; is tamen si advertat, quod persona Religiosa, doctus, & DEL timorem habentes faciunt laborare suos famulos per horam in die festo extra casum necessitatis, ex hoc tanquam extrinseco motivo potest sequi sententiam, quæ ipsi apparet minus probabilis ex motivo intrinseco. Sed quis dubitet, nostram sententiam doceri, teneri, & practicari a personis Religiosis, doctis, DEUM timentibus &c.? ergo nostra sententia, tametsi foret per intrinsecas rationes minus probabilis, adhuc ex motivo extrinseco juxta Mercorum fieret probabilior, imò moraliter certa.

11. Inferes secundò. Usus sententiæ certò, quamquam minus probabilis, etiam esse licitum in articulo mortis: nam articulus mortis ex licito non facit illicitum, & si sententia semel fuit prudens, secunda, & remota à periculo offendendi DEUM, erit etiam talis in articulo mortis. Ideo beneficiarius, qui sententiam probabilem secutus, habuit plures præbendas, non est in articulo mortis cogendus ad illarum resignationem: Clericus, qui sententiam probabilem secutus, non restituit, quæ de proventus Ecclesiasticis sibi superflua in profanos usus expendit, non est cogendus ad restitutionem; nec mercator ad rescindendos contractus probabiliter licitos &c.
12. Inferes terciò. Non esse difficile, ut quidam exillimant, reperire, an aliqua sententia sit certò probabilis, nec ne? Tres regulas tradit Terillus, & ex illo Erhard in thes. de opinione probab. Prima est: Illa opinio est certò probabilis, quæ talis ab omnibus aut plurimis asseritur, nemine

contradicente. Vel si qui pauci contradicant, aliorum tamen rationes non solverunt, nec rationes convincentes attulerunt: tunc enim certa probabilitas talis opinionis manet in possessione, usque dum per argumenta convincentia evertatur. Secunda: Opinio communis, quam frequenter Authores in libris, vel Magistri in Scholis tradunt, tamdiu manet certò probabilis, quamdiu nullus probabilem esse negat, nec affert rationes convincentes in oppositum, tunc enim probabilitas certa rursus est in possessione. Tertia: Illiteratus & indoctus illam opinionem potest habere pro certò probabili, quæ ipsi tanquam vera vel certò probabilis suadetur à viro docto & probato, & nihil aliud occurrit in contrarium. Nam ad prudens judicium certæ probabilitatis id sufficit in homine illiterato, quod sufficit ad prudentem fidem; sed autoritas viri docti ac pii sufficit ad prudentem fidem, ut aliàs dictum: ergo.

Inferes quartò. Sententiam benignam non esse à carne & sanguine, & concupiscentiæ fovendæ inventam, sed à Spiritu S., quia, quod majori Ecclesiæ parti probatur, & ab illa in praxim deducitur, probabilis est à Spiritu S. seu Spiritu Veritatis, à quo omnis rationalis cogitatio & pro conscientia formanda ratiocinatio sumit exordium: atqui talis est sententia benigna: ergo. Non item à Spiritu Veritatis & Charitatis edoceri, nec tantum vel probabilem [ut optimè advertit Herincx. disp. 4. de conf. q. 3. §. 1. n. 26.] opinionem secuti sunt rigide sententiæ Authores, quando benignæ probabilitatis Patronos, viros doctrinæ & pietate conspicuos, laxones, palpones, novatores appellarunt, aliisque, quæ referre piger, convitiis; non minus in veritatis, quam charitatis Christianæ præjudicium onerarunt.

## ARTICULUS IX.

*An liceat contra propriam sententiam sequi, vel consulere probabilem oppositam?*

### SUMMARIUM.

1. Licet contra propriam sententiam sequi oppositam probabilem.
2. Nec propterea simul stant in intellectu judicia contradictoria.
3. Licet aliquis dat consilium secundum alienam sententiam probabilem.
4. Nec propterea loquitur contra mentem propriam.
5. Idem dicendum de Confessario.
6. Monitum pro Confessario.
7. Penitenti contrariam sententiam probabilem renenti à Confessario non potest denegari absolutio.
8. Index licitè sequitur sententiam alienam, quæ aquir apparet.

### §. I.

*Resolutio affirmativa.*

1. **CONCLUSIO.** Licet contra propriam sententiam sequi oppositam, quam quis judicat verè probabilem. Ita Dom. Sorus, Thomas Sanch, &

in Decal. c. 19. n. 14. citans plurimos Authores. Eandem ut probabilem admittit in exercenda potestate clavium, & exemplificat per Adrianum V. superius relatum & Joann. XXII. Sinnichium §. 260. Contrariam tenent Esparza & Scildere.

Ratio est: Ille licitè operatur, qui habet & sequitur judicium certum practicum de honestate suæ operationis: sed qui operatur secundum sententiam probabilem, quam speculativo vel habituali judicio æstimat esse falsam, potest habere certum & practicum judicium de formali honestate suæ operationis: ergo. minor probatur: quodocunque adsunt principia sufficientia, ex quibus formalis honestas alicujus operationis potest inferri, tunc potest formari certum judicium practicum de tali honestate: sed si sententiam ex propria opinione, & judicio speculativo talem contractum esse licitum, si non esse licitum, adsunt principia sufficientia indirecta vel reflexa, ex quibus potest inferri formalis honestas talis contractus

contractus hic & nuncieundi : ergo siue speculativè sentiam esse licitum, siue illicitum, possum formare certum iudicium practicum de honestate formalis talis contractus; adeòque non obstante meà opinione contrarià possum alterius oppositam sententiam sequi. Minor probatur. Tametsi sentiam hunc contractum esse usurarium, adhuc tamen possum iudicare, & si opposita videatur verè probabilis, debeo prudenter iudicare, etiam oppositè sententiæ motiva esse digna assensu : sed ex hoc principio formatur & infertur iudicium practicum certum de formali honestate operationis : e. g. *secundùm illam sententiam licite operor, quæ est digna prudenti assensu : sed hæc sententia, quæ docet hunc contractum non esse usurarium, per rationabilia motiva, quæ habet, est digna prudenti assensu, quantumvis meà opinione iste contractus sit usurarius : ergo secundùm hanc sententiam licite operor.*

2. In quo casu non sunt simul in intellectu hæc duo contradictoria iudicia, *contractus est usurarius, contractus non est usurarius*, sed disparata, & nequaquam opposita : *contractus est verisimiliter usurarius; & est probabile, contractum non esse usurarium.* Et verò si dubium & formido ex parte iudicii speculativi non obest certitudini iudicii practici, quippe cui aliud objectum respicienti tantùm remotè præsupponitur, ita nec iudicium speculativum de materiali inhonestate potest obesse iudicio certo & practico de formali honestate actus, cum & ista iudicia diversa objecta respiciant, & iudicium practicum ex speculativo proximè non inferatur.

## §. II.

## Corollaria.

3. Hinc inferes primò : Possè consultum respondere & consilium dare consultanti non tantùm secundùm propriam, sed etiam juxta alienam sententiam verè practicè probabilem. Sic Medina, Suarez, Saurus, Thomas Sanchez, Layman, aliique quos citat, & sequitur Ildefons. Bapt. Casarag disp. 203. dub. 14. fragm. 2.
- Sequitur primò ex assertione præced. quia quod quis ipse licite sequitur, hoc etiam licite suadet alteri, cum nemini incumbat major obligatio alienam conscientiam curandi, quam propriam : sed, ut dictum, potest quis licite sequi alienam sententiam contra propriam : ergo. Secundò : Illam sententiam aliquis licite suadet, quam consultans licite exercet ; tunc enim satisfacit intentioni consultantis, suæque obligationi [neque enim videtur curare consultans, nisi aliud exprimat, quæ sit mens ipsius consulti, sed potius quid sibi hic & nunc possit esse licitum] sed consultans licite sequitur opinionem verè probabilem : ergo.
4. Dices. Consultus in tali casu loquitur contra propriam mentem, quod non licet. Respondetur. Non loqui contra mentem, quia cum speculativo dissensu de licitate actus ex motivis directis stare potest iudicium practicum, & assensus de probabilitate oppositi, quod sufficit, ut quis possit oppositam sententiam sequi, vel alteri suadere. Dixi : *nisi consultans aliud exprimat, quia, ut rectè notat Jo. à S. Th. si quis Doctor de*

propria sententia, vel de probabilitate requiratur, quid nimirum ipse, vel quid plures & doctiores de aliquo puncto sentiant, tenetur juxta propriam mentem, & probabiliorè responderet aliàs quippe interrogantem decipiendo peccare contra veracitatem & fidelitatem.

Inferes secundò. Hactenus dicta extendi debere ob identitatem rationis ad Confessarium. Unde primò potest Confessarius à penitente interrogatus v. g. an sit obligatus ad jejunium &c. respondere secundùm quamecunq; opinionem verè practicè probabilem, etiam contra propriam, ut est communis sententia, & fatetur Sinioc. loc. cit. Secundò, cum due sunt opiniones, quarum una rigida obligat ad jejunandum, altera favorabilis non obligat, non videtur consultum, ut Confessarius penitentem obliget ad jejunandum, primò, quia sic non responderet juxta intentionem interrogantis, qui tantùm videtur esse sollicitus, quid sibi liceat, non quid Confessarius, vel rigidiores Authores tutius esse sentiant : secundò, quia videtur loqui contra propriam mentem ; est enim ipsèmet oppositam opinionem, quæ ad jejunandum obligat, veram esse speculative censet, nihilominus debet iudicare, penitentem non peccare sequendo illam opinionem verè probabilem, quæ deobligat ad jejunandum. Unde terriò conjiceret penitentem in periculum formaliter peccandi contra conscientiam, si existimans se lege jejunii obligatum, non jejunaret.

Prudentissimè tamen Confessarius suo officio satisfaciet, si, ut optimè monet clarissimus P. Bernhard in Theol. Non quidem dicat penitentem, quod sit obligatus ad jejunandum, suadeat tamen, & hortetur ad perfectiora, ostendendo occasiones meriti &c. At quid si Confessarius advertat penitentem versari in errore, existimando aliquam opinionem verè probabilem, quæ non est talis ? tunc enim verò prudentia dicat Confessario, an ex gravius causis, & ad evitanda graviora mala expediat penitentem in bona fide relinquere, vel potius errorem [quod per se loquendo faciendum, præsertim si error sit essentialis] adimere.

Inferes terriò. Penitenti, qui juxta sententiam probabilem iudicat, aliquid esse licitum, quod Confessarius secundùm propriam sententiam iudicat esse illicitum, non posse à Confessario denegari absolutionem. Nam Confessarius tenetur impertiri absolutionem penitenti tunc disposito : sed in casu, quo penitens habet alia omnia debita requisita, & tantùm non acquiescit opinioni Confessarii propter oppositam sententiam, quam etiam scit esse verè probabilem, est tunc dispositus, nam sequela contrariæ opinionis probabilis, seu culpæ vacans non impedit debitam dispositionem. Ita Jo. à S. Th. disp. 14. a. 6. cum communi.

Ais. Confessarius est Superior respectu penitentis ; ergo penitens tanquam subditus tenetur sequi opinionem Confessarii. Respondetur. Est Superior quoad illa, ad quæ potestas clavium extenditur, transeat [est enim potius iudex, quam Superior] quoad alia, nego. sed actus, quæ probabiliter licita videtur penitenti, non est clavibus subjicienda.

8. Inferes quartò. Etiam Judicem in judicio licite sequi opinionem alienam, quæ sibi æquior apparet: sic enim intentioni Reipubl. suoque officio magis satisfaci, quam si propriam sententiam sequeretur. Nam intentio Reipubl. ac litigantium, officii quoque obligatio non exigit, ut Judex proprii capitis placitum pertinaciter se-

quatur, sed ut illud agat, & pronuntiet, quod legibus & æquitati conformius judicaverit: cum igitur aliena sententia apparet æquitati conformior, Judex rectissime faciet sese illi conformando in praxi, imò eandem sequi tenebitur, si suam videat esse minus probabilem. Ita cum communi Ildefonsi, Casaraug. n. 978.

## ARTICULUS X.

## Quid sentiendum de Ministro Sacramenti, Medico,

Judice, Advocato?

## SUMMARIUM.

1. Premittitur status questionis.
2. Minister Sacramenti tenetur sequi tutiorem.
3. Casu necessitatis excepto.
4. Praxis Ecclesie facit sententiam simpliciter tutam.
5. Non tenetur sequi probabiliorem in controversia jurisdictionis.
6. Medicus per se obligatur adhibere remedia certiora.
7. In casu desperatae salutis licet adhibere medium dubium.
8. Exponitur controversia de Judice.
9. Licet Judici amplecti sententiam minus probabilem faventem jurisdictioni.
10. Item reo faventem in causa criminali.
11. Non licet sequi minus probabilem probabilitate circa factum.
12. Tenetur etiam sequi probabiliorem probabilitate Juris.
13. Ratio fundamentalis.
14. Absurda, quæ ex opposito sequerentur.
15. Quid Judici faciendum in jurium aequalitate?
16. Aliud de Advocato dicendum.
17. Paritates à Mercurio è nostris Corollaris formatae.
18. Depelluntur.

## §. I.

## Quid agendum Ministro Sacramenti?

1. Dicitur est art. 5. §. 1. tutiorem sententiam [quæ sola tunc practicè est probabilis] esse sequendam, cum opiniones contrariæ versantur circa valorem rei, & quæstionem facti, dependentis non ab existimatione morali operantis, sed à physica positione causæ, ut contingit in Sacramentis, quorum valor in institutione Christi fundatus tunc obtinetur, cum adsunt, & à parte rei ponuntur essentialia requisita à Christo determinata, non à Ministro tantum existimata. Quam doctrinam ut compendiò per modum Corollarii applicemus ad particulares conscientias, ponimus Ministrum Sacramenti, Medicum, Judicem, Advocatum, & de primo quærimus, an vel quando sit obligatus sequi sententiam tutiorem? ubi Nota, quòd probabilitas speculativa possit esse vel circa substantiam, vel circa ritum, & ceremonias accidentales, vel circa dispositionem suscipientis, vel administrantis Sacramentum, vel circa jurisdictionem Ministri?

2. Dico & infero primò. Extra casum necessitatis circa substantiam & ritum Sacramentorum

Minister Sacramenti sequi debet opinionem tutiorem, vel in Ecclesie praxi receptam, esto opposita speculativè sit probabilior. Ita comm. DD. Et ratio ex dictis loc. cit. est, quòd illud tantum licite operamur, quod est practicè probabile: sed in administratione, & confessione Sacramentorum illa sola sententia est practicè probabilis, quæ vel est tutior [hoc est de validitate Sacramenti certior] vel Ecclesie praxi recepta, tunc enim efficitur simpliciter tuta: ergo in administratione, vel confessione Sacramentorum oportet sequi tutiorem, vel praxi Ecclesie receptam. Minor probatur. Sententia minus tuta, & opposita Ecclesie contrariatur certo præcepto, primò Religionis, quo jubemur in re tam gravi operari secundum institutionem Christi, ac proinde cavere periculum frustrandi institutionem Christi, quod fieret, apponendo formam, vel materiam, quæ in re ipsa non esset conformis institutioni Christi; secundò Charitatis, quo jubemur vitare damnum non minus spirituale, quam temporale proximi, cui tamen is ex dubio valore Sacramenti exponitur; Tertio Tridentini, quod sess. 7. can. 13. decerit, receptos & approbatos Ecclesie Catholice ritus in Sacramentorum administratione non posse contemni, aut sine peccato à Ministris pro libitu omitti &c. Atqui sententia certæ legis obligationi contraria non potest esse practicè probabilis: ergo.

Dixi primò: extra casum necessitatis; quia in extrema necessitate [prout Ecclesie praxi comprobatur] favor & reverentia Sacramenti cedit favori periclitantis animæ: finis quippe est principalior, quam media: sed Sacramenta sunt instituta pro salute animæ, ideoque salus animæ principalis debet respici, quam valor Sacramenti; præsertim cum reverentia Sacramenti appositione conditionis, v. g. si es debite dispositus, & absolute, sufficienter consulatur.

Dixi secundò: vel in Ecclesie praxi receptam; quia Ecclesie praxi, ut dictum, facit sententiam absolute tutam, & moraliter certam, quamvis illa absolute spectata minus accedat ad securitatem Sacramenti. Ita actualis intentio ministri, & contritio poenitentis haud dubiè magis accedunt ad certitudinem, illa conficiendi, illa recipiendi Sacramentum. Et tamen, quia praxi Ecclesie approbat etiam intentionem virtualem, & sententia Ecclesie in Tridentino approbat attritionem cognitam ut talem, sess. 14. c. 4. quamvis sine Sacramento Poenitentia per se ad justificationem perducere